

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divus Sebastianus Eberspergæ Boiorum Propitius, Seu
Cultus Eiusdem Gloriosi Martyris à Prima Loci Fundatione
Ad Nostra Usque Tempora Propagatus, Et Nunc Publicæ
Luci Datus**

Widl, Adam

Monachij

Caput IX. Benefactores D. Sebastiani Mart. Eberspergæ in auro, argento,
aliisque pretiosis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37233

CAPUT IX.

BENEFACTORES D. SE
BASTIANI MARTYRIS EBER
SPERGÆ IN AURO, ARGENTO,
ALIISQUE PRETIOSIS.

REctè ille fecit, qui liberales in terris Principes, ceterosque mortales Cæli deribus comparavit. Utrisque a genteus color est, hoc est, Beneficiæ nativus. Stellæ ac Sidera in Inferiora influunt, Principes suo culmine non modò in pauperes, qui semper ad manum sunt, verùm etiam in templo, Ecclesia, atque Cœnobia liberalitate suâ impluunt. Horum non paucos cum D. Sebastianus Eberspergæ quoque habeat, injuriam sanè nobilissimæ virtuti inferremus palmarem, tam insignes Benefactores à nobis silentio præterirentur. Quin potius D. Aidanum Lindisfarnensem

*Vaticinium
& factum
præclarum.*

Episcopum nobis imitandum proponimus, de quo Venerab. Beda lib. 3. *Histor. Eccles.* prodit rem cum primis memorabilem. Hic, cum vidisset ipso Paschatis Festo ab Oswaldo Anglorum Rege benignissimo non modo ciborum reliquias in pauperes distribui, verum etiam ipsas argenteas lances in frusta confractas, vasa & pocula, totumque pretiosum abacum ijsdem praedari, ac dividi, facto artonitus tam sanctam & prodigam manum reverenter complexus & osculatus in hæc verba prorupit: Digna sanè inquietabat, hæc manus est quæ nunc quam computrefcat. Id, quod post Regis mortem eventus conprobavit, manu illâ à tumulo prorsus integrâ, reliquo licet corpore plenè resoluto. Hunc, ut dixi, sanctum Antistitem, vatem mirabilem imitandum nobis proponimus: amplexamur nimirum, osculamur, & Lectori Mundo ostentamus prodigas

gas Benefactorum nostrorum manus, & facimus saltem, quod in po-
testate nostra est, ut, si non libe-
rales illæ dexteræ, certè memor-
tantorum Principum, Virorum, &
Matronarum Illustrium, nec nou-
integrarum Urbium, ac Commu-
nitatum nullâ unquam oblivione
putrescat.

Verum ut in hac materia bene
procedamus, duo mihi observanda
esse video. Primum est ad vitan-
dam libri hujus molem, ut non o-
mnia dona, leviuscula præsertim,
duos Evangelicæ viduæ obolos ac
minuta, quæ utique ex mente dan-
tis apud DEUM animorum inspe-
ctorem speciale pretium & aestima-
tionem habent, hic adjungamus,
sed splendidiora duntaxat, quæ sunt
majoris considerationis. Alterum
est, ut in recensendis Benefactori-
bus ordinem aliquem dignitatis
teneamus. Quare à Stellis primz
magnitudinis, à coronatis capit.

bus

bus & Principibus, ex alto lucentibus hoc caput auspicamur.

§. I.

PRINCIPES S. SEBASTIANI MARTYRIS EBERSPERGÆ BENEFACTORES.

Inter Principes Benefactores tres invenio Imperii Augustos Cæſares. Primus est Otto II. Imperator, qui, uti monumentis nostris traditur, sub Gunthero, de quo supra dictum, ultimo Canonicorum h̄ic loci Præſule, S. Sebاستiano Eberspergæ donavit multa mancipia in grati animi contestationem, quod toto ferè ipsius exercitu à Græcis vel deleto, vel dissipato, & magnam partem capto, ipse ex navi exiliens natando salvus & incolus cum paucis evaserit.

Alter est Conradus Imperator, qui Anno M. XXVIII. h̄ic Eberspergæ voto se exsolvens insigne

S 3 præ-

276 *Principes S. Sebastiani Mart.*
prædium in Tandorff cum adjacen-
tibus bonis D. Sebastiano ad aras
obtulit

Ferdinan-
dus III. Cæ-
sar.

Tertius glorioſæ in omnem po-
ſteritatem memorie, famâ, virtute,
Palmis ac Victoriis Augustissimus
Cæſar est Ferdinandus III Austria-
cus, qui An. Christi M DC.XXXIX.
ob conservatam ope D. Sebastiani
sanitatem Sotéri suo rari operis ci-
licem ex puro puto auro obtulit,
ducentis quadraginta gemulis ino-
culatum, donum verè Imperator-
um, pondere, formâ, arte & pre-
tio viſendum, & prorsus eximi-
um.

Principes
Bavariae.

Aquilis magnarum alarum, Ro-
manis Cæſaribus, meritò subjungi-
mus Leones Boicos, pro Domo Dei
ac Religione rugientes, ceu tota-
dem Salomonici Throni DEI, ac
Solij fortes & Aſſessores, & Defen-
ſes.

Primus venit Elegio immorali-
di nus Serenissimus Guilhelmus V.
Co.

Guilielmus
V.

Cognomento Pius, qui inter cetera in D. Sebastianum affectus sui specimina Societatem Jesu huc introduxit, Ecclesiam Eberspergensem multis, iisque pretiosis Reliquis, geminis praesertim Spinis majoribus de Corona Christi, quatuor Craniis è Societate S. Ursulæ & aliis nonnullis auxit, de quibus supra dictum est cap. 7. §. 2. magnum præterea argenteum inauratum poculum Divo suo Tutelari dono dedit.

Magni parentis Guilielmi magnus filius Serenissimus Elector & Archidapifer Maximilianus tot Victoriae pro Religione inclitus cum antiquum S. Sebastiani Sacellum multis partibus vidisset impolitum, illud suis sumptibus in dignorem formam & nitorem restitui curavit. Ejusdem prima Serenissima Coniux Elisabetha Dux Lotharingica in eundem quoque Divum nostrum perquam benigna fuit, quando sub initium bellici motus

*Maximiliani
nus Elector.*

*Elisabetha
Lotharing.*

S 4 ipsa-

ipsamet S. Sebastiani pretiosum Cranium ejusque argenteam Statuam hosti mature subductam in fidem suam recepit, & Salisburgi in loco asyli sui inter Cimelia Sacrum hunc thesaurum solicita curâ asservavit.

Altera Serenissimi Electoris Electrix

*Maria Anna
Austriaca
Electrix.*

Conjux Maria Anna Austriaca Ferdinandi II. Imperatoris filia quo animo, & quam liberali in D. Sebastianum esset, luculento munere ostendit, quando in Capite Gloriose Martyris posuit Coronam de Lapidis pretioso, Rubinis & Unionibns illustrem, additis duabus tabulis a genteis operis fusilis, quarum una Annuntiationem, altera Visitacionem magnæ Virginis nobili articulo exhibit.

Sereniss. ac Reverendiss. Ferdinandus, Sereniss. itidem Guilielmus Ducis filius Archiepiscopus & Elector Coloniensis, quo tempore pestis Coloniam populabatur, D. Sebastiano pretiosam tabulam obtulit

ope

operis musivi, quæ miro colorum
artificio & amoenitate historicum
Christi flagellati typum repræsen-
tat, pretio ducentis florenis æsti-
mato. In pede Tabulæ inserta vi-
sistur particula lapidis, cui Christus
flagellatus sub diro supplicio insi-
stebat. Ejusdem Serenissimæ be-
neficiæ debentur binæ aliæ ma-
iores argenteæ SS. Ignatii & Fran-
cisci Xaverii tabulæ, quæ de cen-
tum aureis ab eodem Serenissimo
ac Reverendissimo Electore dona-
tis confectæ sunt Anno Christi
M. DC. XXX.

Serenissimus Albertus Leüchten-
bergæ Landgravius Guilielmi iti-
dem filius pari ratione Anno Chri-
sti M. DC. XXXIII. D. Sebastiani
Cranium, ne sub hoste periclitare-
tur, secum Berchtersgadam in lo-
cum tutum devexit, servavitque
dum meliora tempora suæ cederent.
Alias eidem Divo pretiosam Casu-
lam, ut vocant, seu vestem Sacer-

S 5 do-

Albertus
Dux Bavar.
Landgrav.
Leüchtenb.

dotalē aureo filo luculenter perextam obtulit. Ex ejusdem Serenissimi Ducis munificentia venit nova Ara S. Corbiniani, pretiotrēcentorum florenorūn, tabula item B. Virginis prægrandis justa Altari magnitudine in Sacello ejusdem Virginis suspensa, multaque alia, quibus optimus Princeps luculenter ostendit non tantum copioso affetu, verū etiam fæcundā & effusa manu, quam in amoribus sibi esset D. Sebastianus; id, quod cum maximè apparuit, quando Anno M. DC. XXXV. die Octob. XXIV. ipse Serenissimus cum tota sua Aula Eberspergam venit, secūmque a genteam D. Sebastiani Statuam cens factam, unam ex majoribus, attulit ad redimendum beneficium, quod à S. Sebastiano acceperat, ob aulam suam priore funesto anno i communi peste præservatam. Quod sanè jucundum Religionis, & ad commovendos animos efficax spe.

*Alberti Rec
ligio & E
xemplum,*

ctaculum erat: Nam dies illa inter ardentia pietatis specimina sancte impendebatur ab omnibus præviâ expiatione conscientiæ, & Sacri E-puli sumptione, auditione rei di-vinæ, copiosæque erogatione Eleemosynæ, ac si quæ alia fuere pie-tatis alimenta, & illustria exempla in publicum. Tanti refert, Solem stellis suam lucem, Principem suis subditis Virtutis suæ radios imper-tire.

Qualis autem liberalissimus pa-rens fuit Albertus, tales D. Seba-stiano quoque filios dedit, Sereniss. ac Reverendiss Principem Hen-ri-cum Maximilianum Archiepisco-pum & Electorem Colonensem, qui Anno M. DC. LXI. D. Seba-stianum Eberspergæ præsens invisit, & oblationem centum Imperiali-um aræ imposuit, nec non Sere-nissimum ac Reverendissimum Prin-cipem Albertum Sigismundum Fri-singensem & Ratisbonensem Epi-sco-

Henricus
Maximil.
Elector. Co-
lon.

Albertus Si-
gismundus
Episcop Fri-
singenf. &
Ratisbon.

scopum, qui ingeniosè liberalis, & liberaliter ingeniosus omnes cogitationes eò intendere visus est, ut in Sanctum Tutelarem Sebastianum suum, quem ex voto quorū invisebat, non tantū insigniter religiosus esset, verū etiam effusè munificus. Ejus Opus est, uti supra loco suo diximus, novum S. Sebastiani præclarum Sacellum, ad omnem venustatis elegantiam absolutum: Ejus Opus marmorea Divi Ara, & picturæ exquisitissimæ; Ejus Opus binæ Imagines pectorales argenteæ DD. Sebastiani & Rochi in forma justi Viri pectore tenus, sexcentis, & quod excurrunt, florenis comparatae; Ejus Opus ingens Christi Crucis affixi imago ex solido argento fusa, eâ magnitudine, quâ in Supplicationibus publicis populo præferri solent majora Christi simulacra. Hæc porto Argentea Imago supra in Inscriptione Sacelli poninon potuit, quia pri-

primum decennio pòst ab ipsomet
Principe oblata est, cùm Civium
fiorum supplicationē solenni pom-
pâ huc duxit Anno M.DC.LXXX.
pro peste avertenda, quæ ex vicina
Austria eruptura timebatur, ipsám-
que Bavariam jam hinc inde ex par-
te afflaverat. Ejus præterea Opus
est Ara Trium Regum, picto artifi-
ciose emblemate, & copiosi auri
illusione insignis, pretio centum
aureorum: ut adeò hac ætate D.
Sebastianus Eberspergæ vix ullum
habiturus sit, à quo plus liberali-
tatis, & opum acceperit. Quam
virtutem ceteris amabiliorum ut
etiam tu, Amice Lector, hoc ma-
xime loco debitè æstimare possis,
vide, quæso, quæ supra de toto
munificentiaæ apparatu in descri-
ptione Magnifici Sacelli cum Elo-
gio Serenissimi Benefactoris pluri-
bus dicta sunt, Anno M.DC.LIX.
Serenissima Electrix Henrietta A-
delhais Nata Regia Princeps Sabau-

dix

Adelhais
Henrietta
Electrix.

284 *Principes S. Sebastiani Mart.*

diae & Pedemontii Serenissimi Elec-
toris Ferdinandi Mariæ Serenissi-
ma Conjuræ D. Sebastianum Eber-
spergæ præsens coluit, eidemque
Latreato Martyri, quasi in militare
Baltheum & Periscelidem obtulit
insignem ac pretiosum Ornatum ex
tela argentea florida pro veste Sa-
cerdotali, antependio Aræ, ut vo-
cant, & Missalis involucro.

Pretiosam similem Casulam ex
texto argenteo dono dedit Reve-
rendissimus Princeps Henricus Epi-
scopus Augustanus: Similem etiam
Reverendissimus ac Celsissimus
Princeps Vitus Adamus Episcopus
Frisingensis, donum eucharisti-
cum, quod ope S. Sebastiani Urbs
Episcopalil servata fuerit à com-
muni lue totam Bavariam tunc per-
vadente.

Et hæc quidem munificentia do-
mesticorum ut maximè Principum
fuit. At nec defuere externi. Anno
M, DC, XIX, Illustrissimi Princeps

*Henricus
Episcopus
Augustan.*

*Vitus Ada-
mus Episcop.
Frisingensis.*

Chimacenses Alexander & Magda-
lena, Comites Bellomontani D. Se-
bastiano duas argenteas Statuas ex
Voto consecrârunt. Una D. Se-
bastianum, altera S. Annam refert.
Utraque auro scitè illusa est.

Principes
Chimacensi;

Anno M.DC.IV. Carolus Prin-
ceps & Comes Arenbergicus, cùm
Serenissimi Alberti Archiducis &
Belgarum Principis Legatum ad
Regem Angliæ ageret, & Londini,
Urbe tunc infectâ, versaretur, inde
per filium suum Statuam argente-
am, & sedecim Aureos misit Eber-
spergam in grati animi testimoni-
um, quòd D. Sebastiano depreca-
tore abs se & Comitatu suo gliscens
tum temporis contagio clementer
fuisset aversa. Alteram item ar-
genteam Statuam Beatissimæ Vir-
ginis misit idem Princeps Anno

Princeps
Arenbergia
cus.

Christi M. DC. XVI,

§. II.

§. II.

D. SEBASTIANI BENEFACTORES EX PERILLUSTRI
ET ILLUSTRI COMITUM ET BARONUM SANGUINE.

*Comites
Sempronenses
Loci Fundatores.*

R II
19

Inter Illustris Benefactores m^{er}itò primùm sibi locum vendicant Eberspergæ Fundatores Semprones Comites uti tempore & antiquitate, ita beneficentiā & honore priores. Ipsum Fundatoris nomen aliquid supra Benefactorem addit, & loquitur: Fundamento beneficiorum semel posito, facile est, superædificare: Auctōr primam gloriam habet cœpti operis. Hisce ergo antiquissimis Comitibus debemus sancitam primitū Religionem, & primam hoc loco Pictati erectam Aram, dejectam superstitionem, ædificatum Templum, extructum Cœnobium, illatam deinde ex bello Hunnico opulentam

pr.

prædam in auro & argento, Româ
petitum & imperatū sacerimum
thesaurum pretiosissimi Cranij S. Se-
bastiani, Fundationem loci amplis-
simam, scriptum ex asse totius Di-
tionis Semptensis heredem D. Se-
bastianum. De qua munificentia
cùm passim in decursu memineri-
mus, non est, cur plura hîc adda-
mus, cùm dubium nullum sit, li-
beralissimos Heroës in loco divitia-
rum jam constitutos frui modò, &
pridem fruitos fuisse cum fœnore
opibus suis olim Deo datis. Ab
his ergo ad ceteros Illustres Bene-
factores gradum faciamus.

Anno Christi M. DC. XXX, die
XVIII. Augusti Comes Joannes Cer-
clæs Tillius Supremus Exercitus
Cæfarei & Bavarii Moderator, se-
culi sui Alexander, & Catholicæ fœ-
deris Machabæus, Vir ultra Mun-
dum notus per unum de suis Ca-
pitaneis misit Eberspergam D. Se-
bastiano Soterium centum Impe-
ria-

comes Tillius.

T

ria-

rialium pro impetrata Exercitus su
incolumitate.

*Comes Her-
bersteinus.*

*Comes Haun-
sperg.*

*Comes Fug-
gerus.*

*Baro Mug-
genthal.*

Inter complures argenteas Sta
tuas D. Sebastiani adest etiam una
Comitum alicujus de Herberstain,
facilè centum Philippæis æstimata.
Item alia Statua ejusdem Divi
gentea ex dono **Comitis** Sebastiani
de Haunsperg Equitis Jerosolymitani,
quam in morbo voverat. To
net Statua gladium cum rotula, &
Cruce duplicata, Insignia scilicet
Equestris dignitatis.

Anno M. DC. XXXIV. Omo
Henricus Comes Fugger è benefica
Societati JESU & Fundatrice Colle
gij Augustani familia natus, me
sibus Octobri & Decembri per bi
nas vices donavit S. Sebastiano,
ejusque Domicilio liberalitate pro
sus eximiâ viginti octo boves.

Illustris D. Albertus Baro Mug
genthalius Eques Melitensis D. Se
bastiano obtulit ex Ebeno duas
capsulas Reliquiarias ebore scis
culi.

D. Sebastiani M. Benefactores. 289

enucleatas & imaginibus S. Joannis
Baptistæ, & Sebastiani illustratas.
De ejusdem dono venit papilio ex
tela serica.

Anno M. DC. XXXIV. Illustris
D. Baro de Neuhaus Præfector Neofori
D. Sebastiano obtulit argenteam
Statuam centum florenis æstimatam
in grati animi Signum &
superatæ contagionis Mnemosynon.

Anno Christi M. DC. XXXVII.
Illust. D. Baro Rueppius D. Seba-
stiano donavit Ciborium majus, ut
vocant, seu Craterem Eucharisti-
cum argenteum ipso Divi Indigetis
Festo die, munus insigne.

De Antiquissima & Illustri Bod-
mannorum familia quidam, cuius
nomen non exprimitur An. Christi
M. DC. XIII. S. Sebastiano dono
dedit Casulam pretiosam aurei tex-
tus cum reliqua Sacerdotali supel-
lectili.

T 2

AB

Baro Neuha
haus.

Baro Ruepp
pius.

*Illustres Be-
nefactrices*

*Comitissa
Schwar-
zenburgica.*

Ab Illustribus Benefactoribus ad
Illustris Benefactrices progredior,
quas inter ante omnes memoranda
venit Illustrissima Jochelina Comes
Schwarzenburgica , sanguine &
gente Gallo-Neoburgica , de qua
supra cum elogio meminimus, ubi
Epitaphium Sepulcrale dedimus.
Ex liberalitate hujus Illustrissima
Matronæ, præter scriptam ex alio
heredem Societatem Jesu, D. Se-
bastiano obvenere varia dona, ca-
que non vulgaria: Statua in primis
argentea Christi flagellati , operis
fusilis; Numisma aureum pro Sta-
tua S Sebastiani : Tabella elegan-
tissima S Cæciliæ ex Ebno, in can-
dido succino singulari amoenitatis
& artificio depictæ parergis argen-
teis circumvestita : Alia Tabula
cum Imagine Virginis Dolorosæ
nigro marmori superinducta, opus
raræ & excellentis picturæ: Vestis
item Sacerdotalis & Antependium,
ut vocant, aurei textus, cum pluri-
bus tim
E
anir
Dis
tuli
rilli
nig
Insi
nis
exh
rain
lyst
fact
pre
stian
mer
nov
bast
ultr
miti
L
Rug
obv
bil

bus aliis mappis partim sericis, partim de lino subtili & pellucente.

Hanc plures secutæ sunt largæ animæ, nominatim Comitissa à Disslingen, quæ D. Sebastiano obtulit Coronam Unionibus, seu Bettillis consitam, uti & Casulam ex nigro heteromallo, quæ in limbo Insignia Gentilitia manu Phrygionis unionibus luculenter exarata exhibet.

*Com. Diss.
Lingen.*

Veronica Comitissa de Mäxelrain, de qua supra quoque inter Illustria Templi nostri funera mentio facta est, præter Annulum aureum pretiosâ gemmâ vigilem, S. Sebastiano donavit centum florenos numerati peculij. Tantundem prænova & summa Templi Ara D. Sebastiano opere sculptorio erigenda ultrò contribuit D. Magdalena Comitissa Haunspergica.

*Com. Mä.
xelrain.*

De liberalitate Comitissæ Annæ Fuggerinæ Zinnebergicæ Templo. obvenere, pretiosa in primis vestis

Com. Fugger.

T 3 auro

auro texta pro vestienda Christi
Statua, annulus aureus Pyropolum
cens, cor argenteum justæ magni-
tudinis, monile pretiosum unioni-
bus distinctum.

Com. Porzia.

Anno M. DC. LXXXIII. Statua
Matris Dolorosæ exornandæ obve-
nit velum pretiosum ex subtilissima
byssò speciosis floribus intextum,
& aureo lymbo fimbriatum, vili
peramœnum, ex dono Illustrissimæ
Comitissæ de Porzia, Supremæ Ele-
ctoralis Gynæcii Præfectæ, quod la-
boris pulcherrimi Emblema ipsa
met suâ ingeniosâ acu nevit,

Baronissa
Raindorf.

Ex Illustris Sanguinis Baronissis
erga D. Sebastianum liberales fuisse
invenio, quas hic noto: in primis
Generis sam Domicellam Mariam à
Raindorf, quæ D. Sebastiano do-
no dedit Coronam ex selectissimo
Corallo, cum pendulo quodam va-
sculo ex puro auro: Statuam item
argenteam operis fusilis Christi ad
columnam alligati, alias præterea

Ima.

Imagines S. Annæ , Apostolorum Petri & Pauli, urceum item argenteum pro dispertienda aqua lustrali, cum aspergillo itidem argenteo, denique velum majus ex Damasco serico auro & argento fimbriatum, cum multa alia sacra suppellectili.

Altera est Birgitta Baronissa Schlanderspergica , ejusque filia Susanna Catharina , nupta Hembergica, quarū utraq; S. Sebastiano appendit torquem aureū multi pretii, Birgitta insuper dono dedit vestem aureo filo textam , Antependium pretiosā acu pictum, atque duos fasces majales, uti vocant, justæ magnitudinis ex sericis floribus, artificio proximè naturam imitante, pretio sexaginta florenorum. Eadem Illustris Matrona parietes Sacelli S. Ignatii & aræ illius ambitum elegantibus peripetasmati vestiri curavit , pretio centum florenorum, &, quod excurrit.

Bar. Schlandersperg.

T 4

Illu-

294 D. Sebastiani Mart. ex

*Bar.
Mörsburg.*

Illustris Domicellæ à Mörsburg Regina & Margarita Anno M. DC. XIX. D. Sebastiano obtulerunt geminas torques aureas, geminas Christi Natalitii Statuas Cimeliis eleganter juxta, & pretiosè ornatas. Alia Illustris Matrona à Neuhaus argenteam D. Sebastiano Statuam dono dedit.

*Bar. Neu-
haus.*

§. II.

D. SEBASTIANI BENEFACTORES EBERSPERGÆ EX VENERABILI CLERO ET DE ECCLESIASTICIS.

HAbet D. Sebastianus ex Venerabili Clero Benefactores Eberspergæ non paucos. Principios quosq; & primi ordinis paulo superius inter Principes & Episcopales mitras recensuimus.

Anno Christi M. DC. XVII. Reverendissimus & Amplissimus D. Leonardus Abbas Schöfftlarien

*Abbas
Schöfftlaien.*

dono

¶ T

dono dedit S. Sebastiano aureum
numisma ex aurea catena pendu-
lum, à quo liberali donatio anti-
qua D. Sebastiani argentea Statua
insigne ornamentum accepit.

Anno M. DC. XXIV. Reveren-
diss & Ampliss. D. Præpositus Dief-
ensis S. Sebastiano donavit argen-
team tabulam, quæ sanctissimi Ath-
letæ Martyrium insigni cælatura ex-
hibet.

Anno M. DC. XXVIII. quidam
Pater de Societate JESU Sereniss. ac
Reverendiss. Electori Colonensi à
Confessionibus sacram Templi su-
pellectilem auxit Statuâ D. Virgi-
nis ex prodigiosa quercu Foyensi
sculptam, palmi altitudine, quæ ele-
ganti Cuppæ inclusa & argenteis
fimbriis circumdata per crystallum
iralucet.

In Anno Domini M. DG. XXXI.
mense Julio Adm. Rev. D. Joannes
Pistorius Parochus Werdensis pro-
pè Ardingā de S. Sebastiano quam-

T s opti-

Præpos.
Diefense

Confessara.
Sereniss. Ele-
ctor. Colon.

Paroch.
Werdensis

optimè meritus Templū Ebersper-
gense exornavit pluribus donariis,
videlicet argenteā Christi Crucis
fixi imagine, geminis argenteis ta-
bulis, quæ quinq; Sanctorum Ico-
nes repræsentant, Isidori, Ignatii,
Francisci Xav. Philippi Nerii, ac
Teresiae conspicuo artificio; dua-
bus item lipsanothecis, eburneis
parergis scitè superinductis. Alia
ejus dona sunt Calix argenteus in-
auratus pretio sexaginta octo flo-
renorum, Corona major de pre-
tiosis corallis, quæ gemmeā luce
suā Statuam D. Sebastiani ambit.
Decennio pōst idem præclarus Di-
vi Sebastiani benefactor ad ere-
ctionem geminorum novorum Al-
tarium SS. Joannis Evangelistæ &
Apostoli Bartholomæi ultrò atti-
buit trecentos florenos.

*Decan,
Maurkirch.*

Anno M. DC. LIX. de insigni
liberalitate Adm. Rev. & Clarissimi
Domini Georgii Stalhueberi Deca-
ni Maurkirchensis accessit Tholo
D. Se.

D. Sebastiani argentea lampas justæ
magnitudinis, operis fenestrati, fe-
stis præcipuis in Choro Templi ar-
sura.

Anno M. DC. LXXIX. Adm.

Rev. D. M. Casparus Reütter Paro-
chus in Tauffkirchen D. Sebastiani

Statuꝝ appendit numisma grande
argenteum, ex argentea torque
pendulum. Huiꝝ accensimus Adm.

Rev. & Clarissimum D. Balthasarum

Hueber SS. Theologiae Licentia-
tum & Decanum in Schwaben, qui
Anno M. DC. XXXV. & alias etiā
prioribus annis D. Sebastiano libe-
ralēm se exhibuit variis donis &
quinquaginta florenis numerati pe-
culii.

Neque hoc loco reticendum
est unum alterūmque Societatis
Iesu Collegium S. Sebastiano tem-
pore contagionis singulariter de-
votum. Præ illis verò celebran-
dus venit Regius Halensis Parthenō

in Tiroli, qui liberalitatem suam

Paroch.
Tauffkirch,

Decan.
Schwaben.

Regius Par-
thenon Hale

298 D. Seb. M. ex Venerab. Clero Benef.
intra montes continere nescius,
eam etiam in adjectam Bavariam
effudit. Oblatum igitur ab his di-
lectis Deo Virginibus est Anno
M. DC. XIII. luculentum donum
Corona elegans Eucharistico Gra-
teri imponenda, compluribus u-
nionibus, & floribus incostili &
encausta materiâ fulgens, unâ cum
uno alteroque integumento cali-
cis, aureo filo multùm extante,
opere Phrygio liberaliter exarato.

Collegium
Hasense &
Oetting Ven.
Anno M. DC. XXXV. mense
Martio Halense Collegium Socie-
tatis Iesu S. Sebastiano dedicavit
Calicem elegantis operis, preio
centum florenorum, munus eucha-
risticum, quod Domicilium illud
tristissimæ contagionis tempore
Anno superiore manifestam Divi
Tutelaris opem senserit. Illi ac-
censemus Domum Oetting Ven-
teris, cuius R. P. Rector Anno
M. DG. LXXXI. D. Sebastiano mi-
sit Cor Argenteum in gratiarum
actio-

actionem servatæ à peste immunis illius Stationis, quæ facile afflari potuisset hereditario malo ex tot peregrinis de Austria & Styria tunc levâ lue infectis Oettingam com- meantibus. Quo ex munere ali- isque similibus hactenus enarratis facile apparet, quām cordi sit piis animis noster Martyr Sebastianus.

§. IV.

URBIUM, OPPIDO-
RUM, ET INTEGRARUM
COMMUNITATUM IN D. SEBA-
STIANUM LIBERA-
LITAS.

Inter Urbes Boicas primum sibi locum vendicat Monachium Bavariæ Caput, & Principum Elec- torum, ac Ducum elegans sedes, Grave ea vulnus accepit Anno M. DC. XXXIV. à communi peste totam Germaniam pèrvagante; quæ ne ulterius in viscera su- ret,

*Metropolis
Bavar. Mon-
achium.*

300 *Urbium, Oppidorum, & integrarum*
ret, voto ad D. Sebastianum edito
tempestivè cavit, quod sequenti
mox anno ritè exsolvit. Venere
ergo Anno M. DC. XXXV. ipso S.
Joannis Baptiste festo die Mona-
censes pleno agmine trium milli-
um & quingentorum capitum Eber-
spergam. Tulere secum insigne
munus, sex candelabra argentea
justæ magnitudinis; pretio nongen-
torum florenorum. Monimentum
hoc est liberalitatis, si ullum aliud,
memoriâ longè dignissimum, seu
Benefactores spectentur, seu do-
num. Candelabrum quodvis hanc
Inscriptionem stylo Aurificis inci-
sam exhibit:

S. SEBASTIANO M.

S. P. Q. Monacensis

Præsentem Divi Opem

Sæviente Pestilentia An. M. DC. XXXV.

Expertus

Ex Voto ad Aram Eberspergensem

Dedicavit

Anno M. DC. XXXV.

Pro-

Proxima à Monachio est Brunovia, firma ad Oenum Civitas, Brunovias situ & opere. Hæc S. Sebastiano addicta Urbs, quantumvis Eberspergā distans non omittit tamen certis annis, pro occasione, magno numero eò excurrere. Diversis ac repetitis vicibus secum attulit præclara munera, vestem in primis Sacerdotalem elegantem, alias argenteam D. Sebastiani Statuam operis fusilis pretio sexaginta florinorum & ultra; rursus binos argenteos urceolos cum subjecta patella ex eodem probo metallo unciarum facile triginta novem. Denique recentissime anno superiore elegantem Calicem formæ majoris argenteum & affabre factum.

Huic merito adjungitur Neo-^{Neo-Oettingen} Oettinga Urbs quoque Oeno adiuta. Hæc Civitas, quod suum in sanctum Martyrem studium & amorem amplius demonstraret, Congregationem sub nomine S. Sebastiani

302 *Vrbium, Oppidoru*o. & integrarum
stiani erexit, eamque cum Eber-
spergensi confederari voluit. Unde
factum, ut haec tenus, quoties ipsa
supplicatum Eberspergam venit,
honoris causâ ab Eberspergensiis
eidem obviam processum, & non
sine pompa aliquantò solennius,
ceu cognata ejusdem Tituli exc-
pta, & ad D. Sebastianum festivè
introducedta fuerit. Invisit autem
primâ vice Sanctum suum Anno
M. DC. LXIV. dono relictis Patro-
no suo duobus argenteis urceolis &
pollubro ejusdem materiæ Vice al-
terâ venit Anno M. DC. LXX. die
Maij vigesimâ primâ oblatâ pretiofa
Casula ex tela Damaſcena: Rurſus
Anno M. DC. LXXXII. annóq; te-
quenti misit in grandiore tabula
ſimulacrū, ſeu Iconiſmum Urbis ſu-
argento quam exactiſſimè elabora-
tum, quo insigni munere pia Ci-
vitatis ſe, ſuásque turres & ædes
ædiúmque inquilinos eives, quo-
quot murorū ſuorum ambitu con-
tinend-

R II
Jn

Comunitat, in D. Seb. M. Liberalitas. 303

tinentur, & publicam præterea in-
columitatem Patrono suo impensis-
simè commendavit. Extat hic ar-
genteus typus in summa Ara omni-
um oculis conspicuus.

Vilso-Biburgum Oppidum Ba-
varia est non ignobile. Ejus cives
uti D. Sebastianum præcipuâ Reli-
gione colunt, ita non minore, li-
beralitate jam antehac ipsum pro-
secuti sunt. Adest Ebersperga de
eorum beneficentia argentea Divi
Statua bene grandis opere fusili,
pretio duecentorum florenorum,
quam grati Clientes obtulere Anno
Domini M. DC. XLIX. Tabula
item argentea SS. Trinitatis affa-
brè facta, & oblata Anno Christi
M. DG. LXV, pretio quadraginta
florenorum.

Pari liberalitate se stiterunt Griesbacensi
Oppidi Cives Anno
M. DC. XXXVI. Divique sacrario
intulerunt duas argenteas imagines
pretio ducentorum florenorum &

M. supra.

Oppidum
Vilsbiburg
Griesbach

304 *Benef. promiscui Ordinis S. Seb. M.*
supra. Utraque basi ex Ebeno in-
sistit. Una Beatissimam Virginem,
altera S. Sebastianum refert. Sancte
præterea contestati sunt viri opti-
mi, ubi primùm voto se ad D. Se-
bastianum obstrinxissent, illico
contagionem agro suo intestam in-
tra, & extra muros desisse.

Gars.

Paroecia P̄æposituræ Garsenfis
Anno Christi M. DC. XIII. D. Se-
bastiano vovit argenteam sagittam
cubiti altitudine majorem cum in-
clusis Reliquiis, obtulitque in de-
bitam gratiarum actionem immu-
nitatis & communi malo, & gl-
scente contagione.

§. V.

RELIQUI BENEFACTO- RES PROMISCUI ORDINIS SECUNDUM ANNORUM SERIEM.

Iuxta annorum seriem hunc Be-
nefactorum Catalogum texere
pla-

placet, partim ut ratio concinni ordinis habeatur, partim ut in delicato honoris punto non offendamus.

Anno M. DC. II. D. Sebastiano cum insertis Reliquiis majoris formæ sagittam argenteam cubiti item altitudine obtulit D. Joannes Chrysostomus Riederer Signifer.

Anno Domini M. DC. X. Dominæ Sabina & Maria Gumpeltsheimerinæ pro summa Ara S. Sebastiani præclari operis contribuere centum Philippæos.

Anno M. DC. XIII. Spectatissimus D. Georgius Schobinger Mercator Monacensis ejusque Conjux Anna Gumpeltshaimerina obtulere majorem Coronam, D. Sebastiano imponendam pretio sexaginta florinorum. Anno eodem de liberalitate D. Caspari Widmann Troparchiæ hujus nemorarij Præfecti S. Sebastiano obvenit insignis calix argenteus, pretio centum floren-

V 2 rum.

306 Benef. premiscui Ordinis S. Seb. M.
rum. Item ex dono Nobilis D. Jo-
annis Burgleüttneri Præfecti Sta-
renbergensis supra Anassum in Au-
stria vestis Sacerdotalis & Antipen-
dium , ut vocant, ex ferico Dama-
sceno.

Anno M. DC. XIV. à duabus lo-
roribus virginibus Margarita & An-
na (aliud nomen haud exprimitur)
oblata est pretiosa Corona, Ven-
rabili , seu Ciborio imponenda;
Stetit illa ultra ducentos florenos.

Anno M. DC. XXI. de benefi-
centia D. N. Pfliegelij sacrae supel-
lectili accessit argentea inaurata
Crux Adamantibus Bohemicis un-
dequaque conferta & cuspidata.

Anno M. DC. XXIV. Dominus
quidam ex Belgio , cuius nomen
tabulæ nostræ non produnt , forte
quod ipsemet occultum voluerit ,
donavit S. Sebastiano centum flo-
renos Brabantinos.

Anno M. DC. XXV. liberalissima
quædam Domina Dornspergiana

misi

misi D. Sebastiano togam suam pronubam, seu nuptialem ex holofericō rubro auratis segmentis copiosè fimbriataī pondere trīginta sex unciarum. Ex qua pretiosa materia undecim ulnarum fātæ sunt dūæ **Casulæ** Sacerdotales pro festis præcipuis, & alia quædam. Doni tam speciosi pretium ad ducentos florenos excurrit.

Nobilis D. Elisabetha Riedlerina Patria Monacensis S. Sebastianō misit insigne Cimelion argenteæ Divi Statuæ appendendum.

Anno M. DC. XXVI. Ingenua Virgo Anna Wâxina ipso profesto S. Sebastiani dono misit binas argenteas Statuas Sanctorum Patrum nostrorum Ignatij & Francisci Xaverij opere fusili, cū insertis operâ Patrum nostrorum in basi reliquiis de ijsdem Sanctis. Eodem anno mense Februario erēcta est in templo nova elegans ara D. Georgij ope maximè Georgii Schilcheri,

V 3 qui

308 Benef. promiscui Ordinis S. Seb. M.
qui ad eam centum florenos con-
tribuit.

Anno M. DC. XXIX. Nobilis
quædam Plareriana (ita tacito no-
mine inscriptā invenio) D. Ignatii
aram exornavit eleganti Antipen-
dio & veste Sacerdotali, pretio se-
xaginta florenorum & ultra.

Año M. DC. XXX. ex longinquo
ab ultima usq; Polonia misit præclara
Domina Ursula Majerina, ubi tunc
in aula Reginis versabatur, Eberisper-
gam D. Sebastiano centum & de-
cem Philippæos, ex qua pecunia,
ipsâ sic volente, factum postea
est majus Conopæum rubrum pro
ara summa ex serico Damasceno.

Anno M. DC XXXIV. Quidam
Dominus Rei Cerevisiaræ Præfet
Monachij ex familia Holzhaufero-
rum in gratiarum actionem servatu-
valetudinis D. Sebastiano donavit
florenos quinquaginta, & una ge-
nero sumum equum.

Anno

Anno M. DC. XXXV. Strenuus
D. Albertus Ligfalzius Urbis Mo-
nacensis Patricius dono obtulit ar-
genteam tabulā D. Sebastiani ima-
gine insignitam & præclaro artifi-
cio elaboratam in signum grati ani-
mi, quòd de infirmitate sua con-
valuerit.

Anno M. DC. XXXVI. D. Præ-
fектus Telonij Schärdingenensis do-
navit Sancto binas imagines argen-
teas pretio centum florinorum.
Una erat D. Virginis, altera Sancti
Indigetis.

Anno M. DC. XXXIX. D. Achä-
tius Leopold Mercator Salisbur-
gensis dedit argenteum Calicem
inauratum.

Anno M. DC. XLV. die XXI.
Februarij piè in Domino hīc ob-
dormivit honestissima Matrona
Rosina Ittin, Domini Christiani
Itten olim Præfecti in Burckrain
pietissima conjux. Hæc post ma-
riti obitum, quò pietatis officiis,

V 4 ce-

310 Benef. promiscui Ordinis S. Seb. M.
ceterisque divinis hic peragi solitis,
& optimæ Magdalenaæ parti, stré-
pitu procùl commodius deservire
posset, Eberspergam concessit, &
cum nomine exquisitæ virtutis lon-
go tempore supervixit: testamento
pridem facto heredem scripsit S.
Sebastianum. Summa residua, de-
tractis quibusdam piis legatis alio
destinatis, excurrit ad octingentos
florenos. Nacta est Benefactrix
sepulturæ locum in templo Paro-
chiali speciali lapide signatum.

Anno M. DC. LXVIII. mode-
stissima Virgo Monacensis Aña Kä-
sina eximiâ prorsus liberalitate D.
Sebastiano legavit trecentos quin-
quaginta florenos.

Anno M. DC. LXXIX. ex libe-
ralitate duarum Virginum Templo
Eberspergensi obvénit novum præ-
sepe Christi pretio septuaginta flo-
renorum, illud ipsum, quod olim
Monachii in Electorali Hospitali ad
S. Elisabethæ erexit visebatur.

E:

Et reverè gratissima hæc esca est rusticæ curiositatis , & exquisitum pabulum simplicium oculorum: Nam personæ scenicæ, quarum præter sacras , complures in hoc Bethlemitico theatro numerantur, ad captum & gustum agrestium accommodatæ sunt ; dumq; curiositatem excitant, aculeum simul pietatis in animo figunt. Quo ex capite piæ illæ Virgines hoc suum donum tanquam optimè collatum sibi gratulatæ sunt.

Anno M. DC. LXXX. die X.
Maij piè in Domino obiit Joannes Schmid Kirchsoyensis Residentiæ Eberspergensis emeritus famulus, vir operæ indefessæ pariter & fidelissimæ , qui Residentiam & Templum S. Sebastiani de suo peculio heredem scripsit. Hereditatis massa quadringentos florenos exæquavit. Sepultus fuit in atrio Templi ad pedes Crucifixi Domini cuius

Ys affi-

312 Benef. promiscui Ordinis S. Seb. M.
afiduam memoriam in omni vita
semper circumtulerat.

Anno M DC LXXXII ex dono
Generosi D. Francisci ab Altman-
hausen Divo Sebastiano accessit
gemmata torques ex corallis cum
argenteo & deaurato numismate
bene grandi, quod Beatissimam
Virginem artificiosos inter radios
belle repræsentat, & argenteæ D.
Sebastiani Statuæ cum ornamento
appensum est.

Benefactores hæc tenus produ-
ctos cum elogio claudat vir de Re-
sidentia nostra ac D. Sebastiano in
paucis bene meritus plenus die-
rum bonorum senex. Est is Abra-
hamus Mez Wessobrunensis rei
Cerevisiariæ ipfis quadraginta se-
ptem annis hic loci Præfectus. Me-
ritò ipse domus nostræ olim fidissi-
mus Custos dici potuit, à qua di-
scessit nunquam, etiam iniquissimis
belli temporibus, cùm incursioni-
bus militum paterent omnia. Hic
ig.

R
I

igitur vir frugi & per omnia rectus,
ut D. Sebastiano, cui erat addictus
fimus aliquod sui monumentum
relinqueret, maximam campanam
quadraginta centeniorum Divo
Martyri Sacram, antehac illapsu ful-
minis inutilem effectam sumptibus
suis refundi in novam curavit, pre-
gio quingentorum florenorum, &
quod excurrit, in piuum opus ex-
penso. Alias Templi cathedram
eleganti serico peripetasmate ve-
stivit pro Festis per annum cele-
brioribus. Moriens Residentiam
scripsit heredem, & Templo præ-
terea legavit centum & decem flo-
renos, quo ex peculio factus est
sericus Ornatus floridi operis pro
ara summa. Obiit vir insigniter
pius, & perpetuò cælebs, octoge-
nario major, uti vixit, placidissimè,
in divinam voluntatem resignatis-
fimus, & ad iter æternitatis optimè
comparatus, munitusque IV. De-
cembris Anno M. DC. LXXXVII.

Tu-

314 Benef. promiscui Ord. S. Seb. M. &c.

Tumulum sibi etiamnum in vivis
elegit in Templi propylæo itidem
ad pedes magnæ Statuæ Crucifixi
Domini, ut nimirum ibi jaceret
mortuus, ex quo pendebat vivus,
totus in Christi vulnera immersus.
Locus Sepulturæ inscripto lapide
signatus fuit.

His donariis hactenus enarratis
non adnumeramus Annulos aureos
non ignobilium gemmarum, quo-
rum sunt complures, intérque illos
unus & alter pronubus. Silentio
tamē prætermitti non debet pretio
perquām memorabilis, quem do-
no dedit nobilis Benefactor D. Jo-
annes Hebenstreitt sedecim pre-
tiosis Adamantibus illustrem, qua-
dringentis florenis æstimatum.
Quo quidem præclaro annulo nos
præsentem de Benefactoribus
materiam obsignamus.